

ipsomet Domino teste, cætera necessaria ipsi adjicientur: qui enim Cœli volatilia, & alia irrationalia pascit, rationabilia curare non desinet, ideoque & maritum cum tota ejus familia, si faciet quantum est in se, jactavitque curam suam in Dominum; juxta illud: *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Si secundum: dico, plures affirmare tunc id licite fieri ac marito, eo innexus fundamento, quod, sicuti magna incommoditas, ac summa difficultas solvendi propria debita, in aliis materiis excusat ab horum solutione; ita & à solutione, seu à redditione debiti conjugalis in casu, præcipue cum per aliorum liberorum procreationem grave inferretur damnum jam procreatis. Probabilior tamen, atque communio videtur negativa sententia; in primis, quia, etiam in hoc casu, valet ratio mox adducta de non deficientia Divinæ Providentiæ, quæ nulli deest facient quantum est in se; vel enim Deus faciet non concipi prolem ex concubito cum uxore; vel etiam proli exinde habitæ providebit aliunde, si parentes eam alere non poterunt à semetipsis: Deus namque est *adjutor in opportunitatibus*, nec ulli deest in necessariis. Deinde negatio debiti petit directe opponitur fini, si non unico, saltè principaliter ipsius Sacramenti, ac frustaneam reddit illam mutuam potestatem, quam de jure divno, ac ratione contractus, uterque conjux habet in corpus alterius. Denique primaria conjugum obligatio est præferenda secundaria illorum obligacioni, ad alendos filios tendenti, maxime cum impotentia eos alendi, ob nimiam multiplicatatem, sit valde dubia, & incerta, & ut colligitur ex dictis, potius apprehensa, quam realis, attenta infinita Dei providentia in creaturarum gubernatione; ubi è contra obligatio reddendi debitum rationabiliter, ac discrete petenti, indubia est, vera, ac certo juri innixa: & quoad prolem nascituram melius est, quod sit, quantumvis inops, quam quod nullo modo sit; si enim eam alere non poterunt parentes, alii poterunt ex priorum eleemosynis; ergo prædictum motivum est causa insufficiens negandi debitum Uxori petenti, & sic maritus probabilius id illicite facit. Nec relevat ratio in contrarium adducta, in primis enim, ut præfata incommoditas, seu necessitas excusat à solutione debiti, requiritur, quod ea sit præsens, ac certa, nec possit aliter averti, & amoveri, quam desistendo à solutione; nam sectis urget solutionis obligationis, etiam quoad alia debita. Porro in casu incommoditas, seu necessitas, non est præsens, ac certa; sed tantum metuitur futura; immo est mere possibilis, ac dubia, cui fieri possit, ut debito etiam pluries Uxori persoluto, non sequatur proli conceptio, vel interim, Deo disponente, contingat pinguior fortuna. Item requiritur, ut incommoditas, vel impotentia sit circa ipsam solutionem debiti. Jam vero in casu nostro res ita se non habet: non enim circa ipsam solutionem debiti, sed circa aliquid, quod mere potest sequi ad illum, nempe, quoad sustentandam prolem adhuc suscipiendam, immo conceptibilem; quod onus emergere potest, & non emergere; & si emergat, suppleri potest subsidio, etiam aliunde habito, puta, eleemosynis &c. Ergo ista causa proprie non videtur satis excusans à redditione debiti petenti; ut inter alios testet tradit Rosign. de Effect. Matrim. præn. 3. sect. 5. n. 5. Quod subditur, postea de danno emergente iam natis, dico, nimis

probare; probat enim mendicos non posse coire cum Uxore, vix enim quandoque habent quod ipsis, & Uxori sufficiat; nec tamen ullibi eis interdictum asseritur matrimoniale commercium, ac summa Dei providentia ipsos, cum magna persæpe succrescente familia, alit. Deinde nil refert, quod de novo geniti aliquod damnum ingerant majoribus natu, huic enim præpondet bonum prolis, ad cuius procreationem de se ordinatur Matrimonium. Hinc ex mutuo consensu possunt quidem maritus, & Uxor à copula abstine-re; & secluso periculo incontinentiae, in allato casu, utique melius est, quod de communi consensu à copula abstineant; supposita tamen seria Uxor's peritio, longe probabilius videtur, quod hic maritus nequeat debitum licite negare, ob rationes supra recensitas, quidquid in contrarium cum aliis doceat Giribaldus de Matrim. c. 19. dub. 14. n. 101. Quoad 2. postea prioris quæsti partem, respondeo negativè, & quidem etiam non interveniat periculum (quo interveniente, plane non liceret) cæteroque in casu regulariter immihens, quod ipse, vel uxor, vel uterque, postea corrumpatur. Ratio est, quia sicuti Uxor ob præfata motivis habet, ne maritus in casu ei debitum neget, proindeque ipsi petenti tenetur, juxta dicta, positive hoc reddere; ita ex quo talia motivis urgeant quoad opus completum, ac perfectum, Uxor quoque ius habet ad operis completementum; siveque maritus actum cum eacepit nequit, ipsa invitata, licite dissolvere. Giribaldus l. c. dub. 7. num. 48. dicens, id esse mortale. Et Rosignolus l. c. prænot. 5. num. 3. solum casum excipit, quo in prosecutione operis Vito immineat magnum vitæ periculum, vel subito alii superveniant concubitum inspecturi, ni Conjuges à cœpto opere desistant: tunc enim inquit, licita est desistentia etiam cum periculo pollutionis, seu effundendi semen extra vas, quia ex una parte, in tanto vitæ, aut honestatis discrimine, cessat obligatio prosecutionis; ex alia corruptio, seu effusio eveniens, non est volita, sed præter voluntatem se retrahentis, cum det operam rei licitæ, ad vitam, naturalemque honestatem tuendam. Rosignolus ibid. num. 6. & seq. Quod si Conjuges desistant de communi consensu ante seminationem utriusque, ac secluso ab utroque periculo corruptionis, tunc id licere ad instar aliorum tactuum partium verendarum, tenet Sanchez, Pontius, Palaus, aliquique, quos refert, ac sequitur Giribaldus cit. n. 48. Quantum ad H. resp. cum Giribaldo ibid. dub. 3. h. 20. in eo casu ipsi non licere desiderare desiderio efficaci, ac positive exclusivo finis generandæ prolis; ista enim positiva directe opponitur fini primario per illum actum intentio à natura, & ad quem principaliter ordinatur Matrimonium. Ex quo inferes, multo magis esse illicitum generationi apponere impedimentum, ne proles sequatur. Si tamen hic finis positive non excludatur, sed tantum (attenta inopia, qua ipsi parentes laborant, ac difficultate, qua iidem premuntur in alenda prole) ob id desiderent desiderio mere inefficaci prolem non concipi; tunc dico, satis communiter licitum affirmari hujusmodi desiderium, quia ex una parte, cum nemo teneatur prolem optare, desiderium, quod proles non concipiatur, secundum se, ac ex objecto suo, non est quid malum, sed indifferens; proindeque, si tale desiderium mere concipiatur ex motivo regestatis, ac difficultatis,

quam quis postea experitur in alenda prole , malum non est : siquidem , se-  
mel ac parentes non tenentur prolem procurare , posunt etiam in ordine ad  
proprium bonum optare ; ne ea concipiatur , dummodo non ponat obsta-  
culum ad conceptum ; nam cum hic versemur in mero jure parentum , ip-  
sorum conditio potius est attendenda , quam prolis concep*tæ*. Rosignolus  
l. suprac. disp. 2. §. 1. num. 4. maxime cum finis præcepti non cadat sub  
præcepto. Joan. Angelus Bossius de Effect. Matrim. cap 7. n.44. Sanchez  
de Matrim. lib. 9. disp. 8. n. 10. Unde etiamsi maritus actu vacet copulae  
conipleræ , potest ex dicto fine se liberandi ab incommodis , in inope non  
modicis , sustentandæ prolis , inefficaci desiderio optare , quod illa non  
concipiatur , cum non teneatur velle quod concipiatur ; nec ejus concep-  
tioni , ut supponitur , ullum apponat impedimentum.

**CAS III.** Diuturna ægritudine Canonicus factus est impotens exercere munus suum. Quæ an ipsi debeat integræ fructus sui Beneficii; nec non quotidianæ Distributiones? II. An eidem Choro ob infirmitatem non interessenti, liceat percipere portionem quotidianarum distributionum, quæ amittitur à Canonicis, absque legitimo impedimento à Choro absentibus, ac præsentibus accrescit?

Resp. ad II. tali Canonico impotenti debere integros fructus sui Beneficij, & etiam quotidianas Distributiones, dummodo ante ægritudinem solitus fuerit Choro interesse. Ratio desumitur ex ipsam dispositione juris in cap. Cum percussio, de Cler. ægrot. ubi habetur, Secundum ejus ordinem quæcumque ei, si sanus esset, poterunt ministrari: ubi notandum ly qnæcumque, quod verbum omnia includit, ac nihil excludit. Hinc sicuti si sanus esset, ac Choro interveniret, perciperet omnes fructus Beneficij, ac Distributiones quotidianas; ita &c. Abbas in dicto cap. num. 6. Fagnanus ibid. num. 11. & concordat textus in c. unico de Cler. non resident. in 6. Infirmus namque, quoad hæc, ficte, ac juris interpretatione, habetur pro præsente in Choro, ad textum in cap. mox cit. Covarrubias Var. Resolut. lib. 3. cap. 13. Addiditamen, dummodo ante agritudinem solitus fuerit Choro interessa, quia, ut ægroti debeantur Distributiones, duo requiruntur. I. Quod sit vere infirmus, & , attenta sua infirmitate, nequeat Choro interesse. II. Quod ante infirmitatem solitus fuerit Choro intervenire, ut declaravit Rota Romana coram Bichio Decis. 16. ac docent Moneta de Distrib. Quot. part. 2. quæst. 5. num. 21. Barbosa de Potest. Episcop. alleg. 53. num. 167. & alii. Ad II resp. pariter affirmative. Ratio est, quia in materia juris accrescendi, portio portioni accrescit, non autem personæ, l. Cum ex filio, §. fin. ff. de Vulg. & Pupil. subsitit, nam portio est illa, quæ portionem ad se trahit, ut declarat Ripa in l. re conjuncti ff. de Legat. 3. Quemadmodum ergo, ex quo ratione infirmitatis fictione, ac interpretatione juris, censeatur præsens, ipse potest licite percipere portionem principalem Distributionum, quinimo hæc ei debetur, ut dictum est; ita ex quo hæc assumat naturam portionis cui accrescit, potest ob eamdem rationem, hanc licite percipere, immo ipsi debetur. Ripa l. c. num. 200. Fagnanus in cap. Lices de Præbend. num. 139. lex enim hic loquens de casu vero, extenditur ad casum

<sup>404</sup> fictum; & præsentia facta æquiparatur præsentia veræ, adeo ut factæ præsens consequi debeat ea, quæ vere præsentibus tribuuntur, ut tradunt Joann. Andræas, & Francus in cap. *Dum in tua*, n. 3. & 4. de Consuetud. in 6.

## *MENSE DECEMBERIS.*

**CAS. I.** **P**eccator publicus, non multo post á gravi peccato commisso, correptus fuit apoplexi adeo gravi, ut illico obmutuerit, nec ullum dederit, aut det externum signum doloris, etiam dubium, ac tenuissimum. **Q.** an possit absolvvi sub conditione.

Respondeo , satis probabile esse , quod possit , ex auctoritate , ac doctrina D. Augustini lib. i. de Adult. Conjug. cap. 28. Postquam enim S. Doctor ibi exposuit , se baptizandos putare Cathecumenos , qui viventium Conjugii copulati , retinent adulterina consortia , si morbo lethali correpti pro se respondere nequierint ; subdit , eamdem rationem valere de reconciliandis Deo per absolutionem peccatoribus , in proximo mortis periculo constitutis. En verba S. Doctoris : *Ego non solum alios Cathecumenos , verum etiam ipsos , qui viventium conjugii copulati retinent adulterina consortia , si desperati , & intra se pœnitentes jacuerint , nec pro se respondere potuerint , baptizandos puto. Quis enim novit , utrum fortassis adulterinæ carnis illecebribus usque ad Baptismum statuerat retineri ? Quæ autem Baptismatis , eadem Reconciliationis est causa , si forte pœnitentem finienda vitæ periculum præoccupaverit : Quibus verbis præsuppositis , sic argumentor. Eadem causa , nimurum , finienda vitæ periculum , juxta Sanctum Doctorem , sufficit ad absolvendum sub conditione pœnitentem , qui ex se ad extra nullum dedit , nec dat signum doloris præcedentium peccatorum , quæ sufficit ad baptizandum Cathecumenum , qui ex se ad extra nullum dedit , aut dat signum detestationis , ac doloris præcedentium delictorum. Atqui imminentis mortis periculum sufficit , ut Cathecumeno , peccatori notorio , ac publico , conferatur Baptisma , ex quo in eo statu fortasse sit intra se pœnitens : Ergo ex quo etiam peccator publicus fortasse sit in eo statu intra se pœnitens , eidem imminentis mortis periculum , sufficit , ut possit absvolvi sub conditione : siquidem in hoc casu , vel hic est vere interne dispositus ; & tunc prospicitur ejus æternæ saluti : Vel non est dispositus , & tunc cum minister solum intendat confidere , ac conferre Sacramentum in suppositione debitæ dispositionis , hac non interveniente , Sacramentum non conficitur , cum in tali casu minister nihil intendat operari ; & sic nulla fiat injuria Sacramento. Neque dicas , Sacramentum ne quidem sub conditione esse conferendum ; quando non intervenit prudens motivum saltē dubitandi de actuali dolore , ordinato ad Confessionem ; cum tunc imprudenter credatur intervenire materiam proximam Sacramenti , quod proinde , neque sub conditione , tunc potest ministrari. Contra enim : dico , in eo casu intervenire prudens motivum dubitandi de hujusmodi actuali dolore , quantumvis ad extra non manifestatio : cum enim Deus nolit mortem peccatoris , sed ut hic convertatur , & vivat ; & ad hunc finem sit adjutor in opportunitatibus pie credi potest , quod tunc Deus peccatorem illuminet quoad statum suum , ipsique gratiam conferat interne*

detestandi ex toto corde vitam male actam , & quod hic, saltem eo tunc non immemor suæ æternæ salutis , interne vero detestetur, ac doleat ; quamvis id ad extra non manifestet ; unde quid vetat , quod minister hoc in casu ipsum sub conditione absolvat. Et sane sicuti ad confessionem requiritur dolor, ita etiam ad Baptismum in adulto , qui actualia commisit: sed juxta S. Augustinum potest hic baptizari, si *intra se pœnitens jacuerit* ; ergo etiam absolvi sub conditione peccator, qui *intra se pœnitens jacuerit*. Nec replices, Sanctum Doctorem ibi loqui de dolore ab extra manifestato ; nam quoad hanc manifestationem ibi S. Augustinus ne verbum quidem apponit, & clare loquitur de pœnitentia *intra se*, adeoque interna. Unde ibi innuere vult, fieri posse, quod , quamvis externe pœnitentia seu dolor non manifestetur, tamen habeatur interne ; & sic quod hoc sufficit, ut Cathecumeno Baptisma , & peccatori absolutio impertiatur sub conditione , prout colligitur ex iis verbis : *Quis enim novit, utrum fortassis adulterina carnis illecebris usque ad Baptismum statuerant retineri? Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finienda vita periculum præoccupaverit.* V. Alphonsum De Ligorio de Pœnit. num. 483.

CAS. II. Mater , vel nutritrix , quantumvis monita à Confessario , ne noctu teneat infantem in lecto absque debita cautela , prosequitur ibi eumdem tenere , hac excusatione , quod ibidem semper alios tenuit, nec ullius umquam secuta est suffocatio. Q. an hoc justificet prosecutionem hujusmodi detentionis ? II. An Pater , vel nutritius , ibidem cum uxore cubans , & hanc detentionem non impediens , peccet ? III. Quandonam detentio infantis in lecto à peccato excusat ?

Resp. ad I. neg. Ratio est, quia licet ipsi numquam evenerit casus suffocationis quoad alios sic detentos in lecto ; tamen id ipsi evenire potest quoad hunc, immo & evenire poterat quoad alios ; cum omissione debitæ cautelæ regulariter exponat infantem detentum tali periculo : quod sufficit , ut mater , vel nutritrix teneatur vel non detinere infantem in lecto , vel , si ibi eum tenet , saltem adhibere debitam cautelam ; puta, interponendo cervical , aut quid simile , sufficiens ad tale periculum removendum; nam secus evincitur amare periculum infantis , ideoque peccat , & quidem mortaliter , etiamsi non sequatur suffocatio ; ut tradunt Navarrus Man. c. 15. num. 14. Rosignolus de Effect. Mairim. Prænot. 3. num. 1. & regulariter cæteri ; quia sic tenens , exponit se periculo ejusdem suffocationis , adeoque occidendi hominem , contra legem naturæ , dictantem hujusmodi periculum esse evitandum : quamobrem in C. Consulisti 2. q̄st. 5. & C. Quæsitum de Pœnit. & remiss. irregularitati subduntur parentes , ex negligentia culpabili , infantes in lecto detinentes , cum periculo suffocationis ; ac pluribus in Diœcesibus apposita est contrahujusmodi detinentes poena excommunicationis , vel latæ , vel ferenda sententia , prout in hac Diœcesi Bononiensi ; ut constat ex ultima Diœcesana Synodo , alibi citata: *quæ poena, utpote gravis, gravem quoque & mortalem culpam supponit.* Ad II. resp. affirmative, quando id impedire commode potest; cum enim ipse sit caput uxoris , & familiæ , ad ipsum spectat uxorem corrigeret , & obviare cuicunque damno , quod inde contingere potest , remo-

ven-

vendo periculum. Proindeque si in casu potens infantis detentionem in lecto commode impedire , & eamdem non impedit , peccat. Addo , id etiam constare ex citatis Canonibus ; immo quamplures docere , etiam ipsum incurare in reservationem , ubi detentio infantium in lecto , absque cautela , est casus reservatus , si & ipse cubet in eodem lecto cum infantie ; siquidem reservatio (ait P. Dominicus Mansi ad 6. cas. reserv. Tabellæ Lucanæ, num. 7. ) non afficit solum detinentes , ad quos alias spectat cura Infantis, uti est mater, vel nutritrix ( nam secus si extraneus cum infante cubaret , & non mater , vel nutritrix ab eadem reservatione extraneus immunis haberetur , quod omnes negant ) sed est intelligenda de quocumque detinente cum periculo suffocationis. Propterea cum in casu , quo in eodem lecto cubet etiam Pater , vel Nutritius , detentio periculosa detur etiam respectu ejusdem Patris , ac nutritii ; ideo non est , cur hic , vel ille à reservatione eximatur , & per consequens à peccato. Quoniam vero quoad hoc oppositum sentiunt Rosignolus loco citato num. 3. Mazzuchelus , & alii , si Pater ac Nutritius considerent ratione sui , ac præcisive ratione capitum respectu uxoris , ac familiæ ; ideo , saltem ex hoc capite , verum est , quod pater , aut nutritius , hujusmodi detentionem non impediens , peccat.

Ad III. resp. excusari à peccato. I. Quando ad hujusmodi detentionem compellit necessitas , seu impotentia aliter faciendi ; puta , cum mater , vel nutritrix est adeo inops , ut cunas non habeat , aut alium locum aptum , ubi infantem reponat ; vel culcitras , quibus ipsum in cunis positum à frigoris asperitate defendat ; nec ipsi facile est eas invenire. Tunc enim , si adhibeat possibilem diligentiam ad præcavendum suffocationis periculum , detinendo infantem in lecto , non peccat ; eo quia necessitas legi non subjaceret , & sic ipsam eximit à contraventione , & peccato: præcipue cum ratione diligentiae adhibet remotum censeatur suffocationis periculum. Quod si inquiras , cujusnam diligentiae usus censeatur facere remotum tale periculum : Dico remotum hoc toties reputari , quoties inter cubantes in eodem lecto ; & infantem , apponitur repagulum , ac hoc eos disjungens , & arcens , ut est arcus ligatus solidus ac consistens ; & juxta Panormitanum , Cajetanum , ac Navarum , cervical , vel quid simile ; & aliunde infans ita ponitur in lecto , ut culicæ & linteola non stent immediatae supra ejus os , seu taliter , ut ipsum suffocare valeant. II. Quando à matre , vel nutritrice vigilante , detinetur ad modicum tempus , ne ejulet , aut usquequo ipse lactetur ; sicutem interim detinens , stet vigilans , tunc amotum est suffocationis periculum. Cautæ tamen ac circumspectæ quoad hoc debent esse lactantes , facile interim somnum capientes ; istæ enim , ne somnum capiant , ac infantem dicto periculo exponant , tenentur aliquantulum è lecto assurgere , eidemque assidere infantemque lactatum , ac consopitum , cito cunis restituere. Idem dic , si qua infantem acceperit , ut ipsum aliquantum calefaceret. III. Quando detinetur infans in die , alio ibi minime cubante , vel , si ibidem cubat , eo vigilante ; tunc namque non adest suffocationis periculum. Hoc extendit Panormitanus cap. fin. de his , qui fil. occid. ad casum , quo cum infante in die cubet , qui non solet dormire , si hic præter consuetum dormiat , ac puerum oprimat , quia est casus omnino fortuitus , ac præter intentionem , nee

nec volitus in se , nec in causa. Idemque dicunt etiam Navarrus & Cajetanus , si mater , vel nutrix , compertum habeat ex successiva experientia , quod dormiens numquam locum soleat mutare , sed ubi semel se collocat , ibidem soleat persistere , & semper se invenire : quia tota ratio prohibitionis consistit in illo periculo , quod propterea ubi cessat , cessat quoque ratio prohibitionis , proindeque peccatum. Unde inferunt , quod si lectus sit magna latitudinis , ac infans reponatur procul , ubi stare non solent , nec pervenire alii cubantes , tunc peccaminosa non sit ibi detentio infantis.

CAS. III. Antequam Titius fieret Clericus , chirurgiæ , ac medicinæ studuit ; & in eisdem adeo profecit , ut , post lauream , earumdem exercitio quamplura lucratus fuerit. Nunc tamen Clericatu adscriptus , ac in sacris constitutus premitur paupertate , cui propterea occurrere intendens , quærerit , an dictum exercitium ipsi repetere liceat ? Quid ei respondendum.

Respondendum , id ei minime licere , non obtento prius à Papa Brevi dispensationis. Ratio est ; quia licet antiquitus tale exercitium indifferenter licceret omnibus , sive Clericis , sive laicis , ut luculenter ostendit fel. mem. Benedictus XIV. de Syn. Dicœcs. lib. 13. cap. 10. justis tamen , ac urgentibus de causis , illud postea fuit interdictum majorum ordinum Clericis , immo & minoribus tantum initiatis , qui Ecclesiasticum Beneficium possident ; ut tradit idem Pontifex ibidem num. 5. quibus propterea , inquit , nunc esse necessarium Apostolicum Indultum , ut medendi artem valeat exercere. Ergo tale exercitium huic Clerico repetere non licet , Brevi dispensationis à Papa prius non obtento : quod aliter non conceditur , quam certis servatis conditionibus , quæ quandoque hæ sunt : Dummodo non adsit copia Medicorum , & dummodo gratis & pro amore Dei exerceatur : aliquando vero apponitur hæc clausula : *Dummodo nihil petas , sed à sponte dantibus recipias.* Et difficiliter conceditur quoad exercitium chirurgiæ , maxime cum facultate incisionis , vel adustionis. Hinc bene considerandæ sunt clausulæ in indulto expressæ ; nam dispensatus servare omnino debet conditions in Brevi appositas. Et de facto olim exorto dubio , an Clericus , qui obtinuerat Breve cum illa clausula , *dummodo nihil petas , sed à sponte dantibus recipias* , lice posset convenire cum aliqua communitate , ut , pro sua opera & labore , universitas ipsa eidem præstet certam annuam , seu menstruam summam , vulgo *por concierto , ó por salario.* Sacra Congregatio Episcop. & Regular. in una Terracinens. die 6. Septemb. 1697. negative respondit , eo quod fortasse non omnino gratis datum reputavit tributum *por concierto.* Vide caput decimum , supra indicatum , Benedicti XIV. ubi perdocte , more solito , à num. 1. ad 11. inclusive , materia hæc pentractatur.

AN-

## ANNO MDCCCLVII. MENSE JANUARII.

CAS. I. M Ulier exponit Parocho in confessione , quod cum ipsam communicans fortuito dedisset ei duplē formulam , ipsa detulit unam ex his domum suam , qua sequenti die semetipsam communicavit. Q. quot peccata commisserit , & an Parochus valeat ipsam absolvere.

Resp. cum distinctione. Vel mulier , talia peragens operata est bona fide , putans nempe , ex quadam simplicitate , aut invincibili errore , ea sibi licere ; & in tali casu dico , ipsam talia agendo formaliter non peccasse , sed solum materialiter ; ideoque nil intervenire , à quo Parochus eam absolvat : cum deficiente formaliter malitia in operante , desit quoque materia absolutionis. Vel talia peragens operata est mala fide , sciens nempe , aut practice dubitans , ea sibi non licere ; & tunc dico , ipsam quidem multipliciter peccasse , Parochum tamen posse illam absolvere. Peccavit multipliciter ; eo quia commisit , primo , peccatum gravis irreverentiae erga SS. Eucharistia sacramentum , temere sacram formulam manu propria ex ore extrahendo. Secundo , gravis inobedientiae contra Ecclesiæ præceptum , eamdem tangendo , donumque asportando. Tertio , inobedientiae simul , & sacrilegii , eam sibi ministrando. Quarto , alterius sacrilegii , in statu mortalis peccati eam sumendo. Enim vero licet antiquius per plura sæcula viguerit disciplina , ut laici , qui sacra communione reficiebantur , in nudas manus Eucharistiam exciperent , suisque iudicem manibus in os inferrent , ac foeminae illam susciperent in album pannulum , eamdemque subinde suis , & ipsæ manibus ad os transferrent , prout , ex Card. Bona , Martene , ac Morino , tradit SS. D. N. Benedictus Papa XIV. tum de Syn. Dicœc. lib. 13. cap. 19. num. 27. cum de Can. Sanct. lib. 3. cap. 38. num. 17. ac de Sacrif. Missæ pluribus in locis ; tamen nunc temporis id obsolevit , ut idem advertit ; & ob contrariam consuetudinem , posterioresque Constitutiones fuit abrogatum ; & laicis , ac mulieribus yetitum est etiam tangere Eucharistiam , extra casum ejusdem ab injuria tuendæ , vel alterius gravissimæ necessitatis , ut colligitur ex cap. *Pervenit de Consecr.* dist. 2. ac notant Giribaldus , tract. 4. de Eucharist. cap. 6. dub. 4. Sporer , & alii ; quin immo nec eis licet tangere vasa , in quibus Eucharistia continetur , (Cap. *Non oportet I.* dist. 21.) Quidquid postea sit , an vasa Eucharistiam minime continentia , ex moderna consuetudine , tangi licite possint , à laicis Regularibus , Monialibus , Sacristis , ac Clericis simpliciter tonsuratis : circa quod vide Alphonsum de Ligorio de Euchar. ut Sacrif. dub. 5. num. 382. Edit. Ven. Si prædictis peccatis addas aliud sacrilegium à muliere commissum , cum antecedenter in statu mortalis trajecit alteram formulam